

VI. De praesentia futurorum in aeternitate.

183. Dico V. Res futurae non sunt ab aeterno physice praesentes aeternitati Dei, sed moraliter tantum, seu respectu ad Dei intuitum.

Nota. Haec est doctrinae, in praeced. propositione traditae, vera intelligentia. Nam aliqui AA. sic intellexerunt D. Thomam, ut inde inferrent, omnes creaturas ab aeterno esse Deo physice coexistentes. Quod si verum esset, fateri oporteret, cum Joanne a S. Thoma (istud defendente), *maximum esse mysterium*. Cajetanus autem sincere fatetur (1): «Iste locus a sequentibus doctrinam D. Thomae reputatur adeo obscurus, ut neminem haec tenus viderim, sive scripto, sive verbo assertive tueri hoc dictum;» nempe, quoad sensum quem rejicimus. Quantum autem ipse desudaverit ut talem amplecteretur interpretationem, non miramur: ait, se *Dei gratia, post 15 annos*, invenisse D. Thomae mentem. Si autem tantum laborabit Cajetanus ut mentem D. Thomae inveniret, fateri oportet, valde esse reconditam ac remotam ab illa mirabili claritate et proprietate verborum, qua uti solet S. Doctor. Tamen Gonet, in suo Clypeo (2), eos increpans, qui talem fuisse Ang. Doctoris mentem negant vel dubitant, ait: «Res tamen adeo manifesta est, ut, hac in re de ejus mente dubitare, sit tenebras et caliginem soli effundere: ac in meridie caecutire.»

Nostram sententiam tuentur Vazquez, Suarez et communiter AA. Soc. Jesu. Aegidius Romanus, auditor olim Parisiis D. Thomae, eos enumerat inter corruptores doctrinae Doctoris Angelici, qui eidem talem adscribunt opinionem de futurorum aeterna praesentia. Cajetanus, ut vidimus, fatetur; ante ipsum extitisse neminem, qui tale mysterium *assertive* tueretur.

184. Prob. 1.° Thesis. Eatenus creaturae coexisterent vere et proprie ab aeterno, quia dum existunt in tempore, coexistunt simplici, ideoque toti aeternitati Dei, quae totum ambit tempus. Sed hoc nihil probat: ergo creaturae non coexistunt Deo ab aeternitate. *Min.* prob. Creatura existens Romae, coexistit ibidem simplici, adeoque toti immensitati Dei, quae ambit omnem locum. Sed id non probat, quod vere et proprie existat immense (ut omnes fatentur), tamquam in aliena mensura: ergo neque sufficit coexistere creaturam aeternitati in aliquo tempore, ut ab aeterno coexistat, ut in aliena mensura.

(1) Ibid.—(2) T. 1. De scient. Dei.

Paritas et *consequentia* est evidens. Ideo enim creatura, coexistens Romae Dei immensitati, non existit immense, quia non existit Romae per immensitatem Dei, sed per suam finitam ubicationem. Atqui neque coexistit aeternitati Dei per ejusdem aeternitatem, sed per solam suam finitam durationem: ergo nequit etiam ab aeterno Deo coexistere.

Confirm. Non minus simplex et infinita est Dei immensitas, quam aeternitas: ergo si haec creatas res trahit ut sint ab aeterno, illa easdem facit esse ubique.

Quod de immensitate dictum est, de qualibet dici potest perfectione. Imitatur enim quaevis creatura gradum aliquem divinae perfectionis: quaevis autem perfectio in Deo est simplex et infinita; ergo trahit quamlibet creaturam ut imitetur totam Dei perfectionem, ita ut sit infinita *in aliena mensura*. Sic enim loquuntur.

185. 2.° Si creaturae existerent ab aeterno in aliena mensura, etiam existerent in propria. Sed hoc nolunt, nec possunt, concedere. Ergo neque primum concedendum.

Maj. prob. Ideo futura existerent ab aeterno in aliena mensura, quia coexistunt ab aeterno alienae mensurae. Sed si existerent ab aeterno in aliena mensura, etiam coexisterent propriae mensurae; ergo si creaturae ab aeterno existerent in aliena mensura, etiam in propria existerent.

Min. prob. Non minus futura est in tempore duratio rei futurae, quam ipsa res. Ergo pariter, et aequo jure, res futura et ejus duratio existunt ab aeterno; ergo eo modo, quo res futura ab aeterno existit, coexistit propriae mensurae.

3.° Non est vera, sed ficta, ea rei existentia, quae est simul, et aequo jure, cum ejusdem non existentia. Atqui talis est haec existentia futurorum ab aeterno: ergo ficta dicenda ejusmodi ab aeterno existentia. *Minor* patet. Etenim aequum verum est, rem quamlibet quandoque non existere, et quandoque existere.

186. Objic. 1.° D. Thomas ait (1): «Quidquid in quacumque parte temporis est, coexistit aeterno, quasi praesens eidem.»

Resp. Explico: coexistit aeterno, dum est in tempore; conc. Antequam sit; subdist. Coexistit aeterno physice; nego. Moraliter, seu per intuitionem; conc.

Inst. Intendit probare D. Thomas, Deum cognoscere futura, idque probat quia futura aeterno coexistunt: si ergo coexistere aeterno intelligitur moraliter, seu per intuitionem, probat idem per idem.

Resp. Dist. ant. Intendit probare *praecise* Deum cognoscere futu-

(1) L. 1, Contr. Gent. c. 66.

ra; nego; cognoscere illa *sine successione*; conc. Unde ita argumentatio procedit: «Quidquid in quacumque parte temporis est (ecce »existentiam physicam), coëxistit aeterno (intellectui divino) quasi »praesens eidem.» Sed quod est aeternum, scil. intellectus divinus, successionis durationem non habet, seu est totum simul: ergo non successive, *sed quasi praesens* intuetur in tota sua aeternitate; quod per totum temporis decursum agitur.

Praesentia ergo physica in tempore est fundamentum argumentationis; praesentia autem moralis, seu simultaneae intuitionis, in aeternitate, est conclusio, sicut explicitis verbis declarat ipse S. Doctor in illo Coroll. supra, (n. 182.)

Objic. 2.^o Augustinus, Gregorius, etc. dicunt Deum proprie non habere praescientiam, nihil Deo esse futurum aut praeteritum, sed tantum praesens.

Resp. Haec dicunt PP. ut excludant a Deo illam mutationem, qua nos praeterita et futura cognoscimus; conc. Ut tribuant aliam rerum praesentiam praeter moralem, seu respectu divini intellectus; nego. Augustinus ait (ps. 43): «Et quare apud ipsum omnia? Quia et antequam essent omnia aut crearentur, ei nota erant »omnia.» Et Gregor. (1): «Scimus quia Deo futurum nihil est, »ante *cujus oculos* praeterita nulla sunt, praesentia non transeunt, »futura non veniunt; quippe quia omne quod nobis fuit, erit, in ejus *prospectu* praesto est.» Scilicet, praescientia in nobis est, res in suis causis cognoscere; Deus autem in se ipsis omnia futura cognoscit; ergo scire potius quam praescire futura dicendus est; «ne dicatur bis cognoscere objecta, primo ut futura, postea ut praesentia;» ut ait Augustinus (2): et rursus; «Neque enim ejus »intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cuius incorporatione intuitu simul adsunt cuncta quae novit; quoniam tempora ita »novit nullis suis temporalibus notionibus; quemadmodum temporalia movet nullis suis temporalibus motibus.»

Objic. 3. Deus habet de re praesenti hanc scientiam: *Mundus*, ex. gr. *est mihi physice coëxistens*. Sed hoc scivit eadem scientia ab aeterno; ergo mundus fuit Deo physice praesens ab aeterno.

Resp. 1.^o Elucebit fallacia, si adversarii solvant idem argumentum: nam fatentur illi, non fuisse mundum ab aeterno physice Deo praesentem in propria mensura, seu duratione, sed aliena. Igitur sic: Deus habet de mundo praesenti hanc scientiam: *Mundus est mihi praesens physice in propria mensura*. Atqui hoc scivit eadem scientia ab aeterno: ergo mundus ab aeterno est Deo phy-

(1) Moral. l. 20, c. 23.— (2) L. 2, QQ. ad Simplic. q. 2.

sice praesens in propria mensura. En, habes ex eadem argumentandi forma consequentiam haereticam.

Resp. 2.^o Aliqui dicunt quod Dei cognitio non involvit compositionem per verbum *est* vel *erit* notatam, sed simplicem tantum omnium intuitum. Id innuere videtur D. Thomas (1). Augustinus autem (2) ait: «Non more nostro Deus quod futurum est respicit, sed alio quodam modo a nostrarum cogitationum consuetudine longe, lateque diverso.»

Resp. 3.^o Dist. maj. *Est mihi physice coëxistens*, in duratione A vel B (individua); conc. Praescindendo; nego. Item dist. *min*. Hoc scivit ab aeterno, sibi esse praesentem physice, in duratione A vel B; conc. Pro alia duratione aeterna; nego.

ARTICULUS IV.

De scientia divina actuum liberorum sub conditione futurorum

THESIS XXXI.

Deus certo cognoscit futura contingentia libera conditionata, sub conditione indifferenti et concludibili.

187. **Nota I.** Multiplex est *conditionatum*: a) *cujus conditio est metaphysice connexa cum eodem*; puta, si detur praemotio physica (ad sensum thomistarum) ad consensum, erit consensus: b) *quum conditio est moraliter connexa*, v. gr. si detur maxima inclinatio moralis ad consensum, consensus existet: c) *cujus conditio est adiaphora, seu, ut dicitur, disparata*; puta, si Titus dormiat, Turca convertetur.

Nota II. Futura conditionata, quae numquam existent, dicuntur *pure conditionata*.

Nota III. Antiquos è sua schola negasse Deo hanc scientiam, asserit Ledesma O. P., illorumque sententiam sibi, dicit, esse certissimam, oppositam autem improbabilem; scilicet, conjecturis tantum cognoscere Deum futura contingentia conditionata asserit. Tamen nunc thesis nostra est inter Theologos communis, et certa tenenda: imo Alvarez O. P. et alii (etiam ex thomistis) dicunt, quod non possit negari, *salva fide*.

188. Prob. 1.^o Christus D. ait: (3), *Vae tibi Corozain, vae tibi*

(1) Q. 14, a. 15, ad 3. — (2) De Civit. Dei, l. 11, c. 21. — (3) Matth. XI, 21.
THEOL.—Tom. II. 8

Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. Haec quidem poenitentia locum non habuit; tamen, posita conditione, extitisset.

Patet quoque ex responso Davidi, Deum consulenti, tradito (1).

2.º Augustinus passim de hac Dei scientia sumit argumenta ad Dei commendandam providentiam (2): «Respondeant, si possunt, »cur illos Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de vitae »hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, et »ne fictio deciperet animas eorum? Utrum hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil eorum nisi per- »versissime atque insanissime dicitur.»

3.º «Deus scit non solum quae sunt actu, sed etiam ea quae sunt »in potentia vel sua, vel creaturae.» (3) ait D. Thomas. Atqui horum quae sunt in potentia sua vel creaturae, quaedam sunt futura contingentia conditionata nobis libera sub conditione conducenti: ergo ejusmodi nescit. *Min.* prob. Sub gratia A, vel sub tentatione B, contingeret necessario unum ex duobus, vel consensus, vel dissensus, ita ut, non possemus, uno posito, alium ponere. Atqui ejusmodi consensus vel dissensus, sub ea conditione et disjunctione possibilis vel impossibilis, est contingens futurum nobis liberum sub conditione conducenti; ergo horum quae sunt in potentia Dei vel creaturae quaedam sunt futura conditionata nobis libera.

Confirm. Non possunt consensus et dissensus simul sub eadem conditione existere: ergo ignorans an contingeret consensus vel dissensus, ignorat necessario, an consensus vel dissensus evadat sub tali conditione impossibilis; et consequenter nescit, uter eorum maneat possibilis: ergo neque cognoscit omnia quae sunt in potentia illius creaturae.

4.º Deus scit omnia quaecumque sunt *quocumque modo*, idque etiam asserente explicite Ang. Doctore (4). Atqui futura contingentia... sunt aliquo modo; nempe sunt futura conditionate: ergo ea nescit Deus. *Min.* patet. Nam esse futurum conditionate plus significat quam non esse futurum.

189. Objic. 1.º In graeco fonte non dicitur absolute de Tyriis, quod poenitentiam egissent, sed sub dubitatione, *forte &c.* Ergo non urget probatio.

Resp. 1.º cum Augustino (5): «Ille, qui omnia scit, quando »dicit *forsitan*, non dubitat, sed increpat.»

(1) I Reg. XXIII, 11.— (2) De *correp. et grat.* c. 8, n. 19.— (3) Summ. p. 1, q. 14, a. 12.— (4) Ibid. a. 9.— (5) Trac. 37 in Jo.

2.º Ex Hieronymo: eo modo locutus est Christus ut libertatem arbitrii indicaret: (1). «Verbum ambiguum, *forsitan*, majestati Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut »liberum homini servetur arbitrium, ne ex praescientia ejus, quasi »necessitate vel facere aliquid, vel non facere cogatur.»

Objic. 2.º Aliqui docent Patres, non potuisse Deum praescire, quae futura non erant: ergo ejusmodi scientia non est concedenda.

Resp. Distinguo: non potuisse praescire tamquam *absolute* futura; conc. Uti *conditionate* futura; nego *antecedens*.

Objic. 3.º Scientia conditionatorum est abstractiva et praecisiva: ergo nequit esse in Deo sine imperfectione. *Ant.* prob. Scientia quae praescindit ab eo, utrum res absolute erit, est abstractiva: sed talis est scientia conditionatorum; ergo est imperfecta.

Resp. Dist. *ant.* Est praecisiva *virtualiter*; conc. *Actualiter*; nego *ant. et consequentiam*.

Potest, sane, scientia futuri conditionati liberi simul esse cum scientia ejusdem, tamquam absolute futuri vel non futuri; adeoque illa prior a posteriori *virtualiter* distinguitur; non tamen *actualiter*; nam idem actus respicit necessario utramque ejusdem objecti veritatem; scilicet, tamquam conditionate et tamquam absolute futuri vel non futuri.

THESIS XXXII.

Deus non cognoscit in decreto subjective absolute et objective conditionato futura contingentia conditionata nobis libera.

190. Percelebrem quaestionem de medio, quo Deus futura contingentia conditionata cognoscit, praetermittere non licet, cum ex ea tum Scientiae Mediae doctrina, tum thomistici systematis textura ortum ducant.

Nota I. Bannez, alique thomistae non negantes hanc Deo scientiam, putant, Deum futura conditionata libera cognoscere in decreto subjective absolute, et objective conditionato, per quod efficaciter determinanda esset voluntas si crearetur. Molina autem, Bellarminus, Suarez, etc. censent, posse ejusmodi futura cognosci in se ipsis tantum, ne pereat libertas. Doctrinae Soc. J. consentiunt alii innumerati Auctores, quorum plus quam 200 enumerat Henao, eisque postea plurimi accesserunt.

191. **Nota II.** Decretum divinum considerari potest in se ipso, vel in suo objecto; seu, subjective vel objective. Decretum, in se

(1) In Jer. XXVI, 3.

ipso consideratum, si existat, dicitur subjective absolutum: ex. gr. decretum illud: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris* (1). Si autem non existat decretum, sed existeret posita aliqua conditione; est subjective conditionatum; puta: *Si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum* (2). Ex parte autem objecti, accidere potest ut Deus illud velit absolute; puta, decretum creandi mundum; vel illa Christi decretoria voluntas: *volo: mundare* (3). Potest etiam Deus aliquid velle sub aliqua hypothese; ut illud: *morte morieris*; vel istud (4): *Movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris*.

Nota III. Ajunt ergo banneziani, ideo cognovisse Deum ab aeterno poenitentiam Tyrriorum et Sidoniorum, ex. gr., data hypothese quod miracula apud eos perfecisset, quia decrevit absolute et efficaci et praedeterminante decreto, ut in ea hypothese illi poenitentiam agerent: è contra, cognovisset eos non fore convertendos, si id quoque eodem modo decrevisset. Tamen plures ex thomistis admittere non audent efficacia et praedeterminantia decreta circa actiones liberas turpes.

192. Prob. 1.º Si Deus cognosceret futura conditionata in decreto subjective absolute, aliquid esset quod determinaret ad fidem et ceteros actus liberos, praeter voluntatem operantis. Sed nihil est quod ita determinet voluntatem: ergo non cognoscit in ejusmodi decretis futura libera conditionata.

Min. pr. a) Ex Anselmo (5) «Sola voluntas determinat quid teneat; neque aliquid fit vi necessitatis, ubi operatur sola electio nostrae voluntatis.»

b) S. Thomas (6): «Determinatio actionis et finis in potestate liberi arbitrii constituitur; unde remanet sibi dominium sui actus.» Et iterum (7): «Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret.» Ex quibus sic evidenter argues: illud Dei absolute et praedeterminans decretum non est nostrae voluntatis et nostri liberi arbitrii: ergo si per illud decretum fit determinatio futurorum contingentium nobis liberorum, non est *sola voluntas* determinans; neque pertinet determinatio ad liberum hominis arbitrium.

Confirm. ex S. Thoma (8): «Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinate exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.»

(1) Gen. II, 17.—(2) Eccli. XXXIX, 8.—(3) Luc. V, 13.—(4) Apoc. II, 5.—
(5) Concord. c. 1.—(6) 2, dist. 25, q. 1, a. 1, ad 3.—(7) Dist. 28, q. 1, a. 1.—
(8) Dist. 39, q. 1, a. 1.

Item (1): «Ratio culpae procedit ab eo qui habet dominium sui actus. Hoc autem est in homine secundum illam potentiam, quae ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur nisi ex se ipsa; quod tantum voluntati convenit.»

193. Prob. 2.º Christus rationabiliter arguebat cives Corozain: *Vae tibi Corozain, vae tibi...* (2). Sed si vidisset poenitentiam Tyrriorum in decreto absolute et determinante, non eos rationabiliter arguisset: ergo dici nequit in tali decreto poenitentiam vidisse. *Min. prob.* Increpatio comparativa est irrationalis, ubi datur magna inaequalitas ad operandum, independenter a voluntate illius qui increpatur. Atqui si vidisset Christus poenitentiam Tyrriorum in decreto absolute determinante, fuisset magna inaequalitas respectu ad conversionem inter Tyrios et Judaeos, independenter a voluntate eorum: ergo increpatio non fuisset rationalis. *Min. prob.* Respectu Tyrriorum existebat (ut supponitur) decretum metaphysice connexum cum eorum conversione, non autem respectu Judaeorum; unde poterant Judaei Christo respondere: «Domine; erga Tyrios decretum habuisti absolute et determinativum conversionis eorum; quo posito, licet longe duriores quam nos fuisset, credere illos oportebat: erga nos autem ejusmodi non fecisti decretum, quo absente, licet cerei essemus, repugnat nos converti: da nobis decretum cum poenitentia connexum, et convertemur.»

194. 3.º Augustinus ajebat (3): «Quamvis multi uno modo vocati sint, illi solum sequuntur vocationem, qui ei capiendae reperiuntur idonei.»

Ex quibus sic: vocatio est id, quo Deus nos movet et excitat ut sequamur. Sed si opus foret ad sequendum, ut decretum adesset absolute, efficax ac determinans voluntatem, non moverentur et excitarentur uno modo illi qui sequuntur et qui non sequuntur: ergo falso asseruisset Augustinus, quod uno modo multi vocantur, quorum alii sequuntur, alii vero non sequuntur vocationem.

Confirm. Quod illi, qui uno modo vocantur, sequuntur, vel non, vocationem, ratio est, quod reperiantur, vel non reperiantur idonei. Sed si vocatio fiat decreto efficaci et determinanti voluntatem, omnis voluntas est idonea ut sequatur: ergo in hypothese decreti determinantis, falsam tradit Augustinus rationem, propter quam sequuntur vel non sequuntur vocationem, qui uno modo vocantur.»

195. 4.º Prob. adversus Scotistas, qui ut praedicta evaderent in-

(1) Ibid. a. 2.—(2) Matth. XI, 21.—(3) L. 1, ad Simplician. q. 2.

commoda, induxerunt decreta *concomitantia*, non autem *praedeterminantia*.

Ut Deus videret effectus contingentes liberos in decreto concomitante, non autem praedeterminante, voluntatem; oporteret, tale decretum causalitatem necessario connexam cum illis effectibus contingentibus habere. Atqui effectus contingens et liber necessario praerequirit causalitatem liberae voluntatis: ergo decretum concomitans haberet causalitatem necessario connexam cum causalitate liberae voluntatis.

Subsumo: vel haec connexio infallibilis inter causalitatem divini decreti et causalitatem liberae voluntatis est intrinseca, vel extrinseca. Si est intrinseca: ergo Deus per suum decretum non tantum suam determinat causalitatem, sed etiam illam causae liberae: ideoque non est concomitans, sed praedeterminans. Si autem connexio est extrinseca; ergo Deus non in suo decreto absoluto, sed aliunde habet praescientiam effectus contingentis nobis liberi.

Vide rem late illustratam apud Suarez: (Opusc. *de Dei praescient. futur. conting.* L. 1, c. 6, nn. 9, 10...)

196. Objic. 1.^o Augustinus Dei tribuit voluntati quod nos *velimus* et *faciamus*: «Certum est nos facere, cum facimus: sed ille »facit ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: *faciam ut in justificationibus meis ambuletis*» (1). Ergo potest Deus contingentia nobis libera videre in sua efficaci et determinante voluntate.

Resp. Conc. *ant.* et nego *consequentiam*. Non enim dicit unquam Augustinus, vel D. Thomas, (quod dicunt thomistae) voluntatem Dei *praedeterminantem* facere, ut nos *velimus* et *faciamus*. Quomodo ergo facit ut *velimus* et *faciamus*? Vide verba Augustini in prob. 3.^a laudata (n. 194). Dando, nempe, vocationem ad quam simus *idonei*, seu congruam; quam *idoneitatem* per scientiam mediam Deus novit.

Objic. 2.^o Ait D. Thomas (2): «Cum voluntas interius non »possit ab alio moveri nisi a Deo... per consequens voluntariae cogitationes non possunt cognosci nisi ab ipso Deo.» Sed non movet Deus voluntatem nisi quatenus decernit eam movere: ergo decretum movendi voluntatem est ratio unica qua possit ejusdem actus dignoscere, etiam conditionatos.

Resp. Dist. et explico *maj.* Voluntariae cogitationes nequeunt cognosci nisi a Deo, «quia voluntas non potest moveri nisi a Deo;» quasi hic motus sit unica ratio formalis illas cognoscendi; nego *maj.* Quatenus hic motus ostendit ad solum Deum, uti causam uni-

(1) *De Grat. et lib. arbitr.* et lib. arbitr. c. 16. — (2) *De malo*, q. 16, a. 8.

versalem, spectare cognoscere voluntarias cognitiones; conc. Non enim hic docet D. Thomas, quale sit medium, seu formale motivum, actus voluntatis et voluntarias cogitationes dignoscendi: alias sequeretur neque angelos, neque homines posse dignoscere nisi quod ipsi faciunt, cum motivum formale sit intrinsece necessarium.

Objic. 3.^o Futura conditionata, (puta, si vidissent Tyrii miracula, egissent, vel non egissent, poenitentiam) debent determinari ad unum prae alio. Sed non determinantur a se, quum sint essentialiter indifferentia; neque a voluntate libera, quae nunquam erit (ut supponimus): ergo a Deo sunt determinanda ut cognosci possint.

Resp. Dist. *min.* Neque a voluntate determinantur *absolute*; conc. *Conditionate*; nego *min.*

Voluntas ergo determinat futura libera conditionata. Nempe, ut actus liberi sint possibili, sufficit voluntas possibilis; ut autem absolute existant, requiritur quoque voluntas existens et se determinans absolute; ut vero futura sint conditionate, sufficit ut conditionate existat et se determinet voluntas.

Objic. 4.^o Quod Deus absolute et efficaciter decernat actus nostros liberos non repugnat; unde dixit per Prophetam: *Dabo eis cor ut sciant me* (1); *Faciam ut in praeceptis meis ambuletis* (2); ergo et potest decernere conditionata libera.

Subs. Sed in decreto absoluto et efficaci certo cognosci possunt actus liberi absolute futuri, puta, cor novum, observatio praeceptorum: ergo et futura conditionata libera possunt similiter cognosci.

Resp. Dist. *ant.* Si decernat efficaciter decreto scientia media regulato; conc. *ant.* Si decretum fit efficax vi praedeterminationis physicae actuum voluntatis, non repugnat quod actus liberos decernat; nego *ant.*

Pariter dist. *min.* subs. In decreto absoluto... regulato scientia media, seu per ejusdem connexionem extrinsecam, cognosci possunt actus liberi; conc. *min.* In decreto... praedeterminante, seu propter ejus connexionem intrinsecam, cognosci possunt; nego *min.*

Deinde patet solutio ad *consequens*. Sane, in decretis objective conditionatis (si quae sint), futura libera conditionata videri possunt; quia decreta ejusmodi, utpote sapientissima, non nisi certa praelucente scientia media emissa sunt, ideoque nullatenus frustrari possunt.

Objic. 5.^o Quidquid a mera exit possibilitate debet subjici providentiae, et ab eadem decerni. Sed si admittantur futura libera con-

(1) Jer. XXIV, 7. — (2) Ezech. XXXVI, 27.